



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ivdex Magistratvs Senator

Zype, Franciscus van der

Antverpiæ, 1633

Cap. XVII. Iniustè bellatur ex nimia sæuitia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14280

CAPVT XVII.

Iniuste bellatur ex nimia Sæuitia.

Citra necessitatem, terroremque exemplo opportunum, si nimis sæuitur, non rectè bellatur: ruinis nimijs, damno frugibus dato, non humatis mortuis, occisis obsidibus, si non & ipsi peccarant; captiuis intra præsidia iam ductis, seu, vt hodie aiunt, refrigerato iam sanguine, pacto redemptionis pretio (quod & priuato militi debetur *l. 21. D. de neg. gest.* nullâ metus ratione habitâ, cuius allegationem bellum respuit. Bodin. *l. 4. cap. vlt.*) supplicibus, innoxijs, pueris, fœminis, agricolis, incermibus, peregrinis. Gentil. *lib. 2. de iur. bell. ad fin.*

CAPVT XVIII.

Ex verborum Contumelia.

Circa modum etiam bellandi peccatur, cum nullâ iustâ causâ contumeliæ in hostem inanes sparguntur, & scommata, diæteriaq; , & falsæ falsæq; facitiæ. Ita accidit Veientibus procaciâ illulis. de quibus Lilius *lib. 2. non alio antè bello infestior Romanus. adeo hinc contumelijs hostes, hinc Consules morâ exacerbauerant. & iterum: Sed Veiens hostis, assiduus magis quam grauis: contumelijs sæpè animos agitabat.* fatius est mollibus verbis eneruare, quam irâ hostem armare. incendunt contumeliæ ad vindictam, etiam in socios, & ciues. Ita euenit Cremonensibus direptis à Tertia-decimanis, quos, vt sunt, inquit Tac. *lib. 19. procacia urbana plebis ingenia, petulantibus iurgijs illuserant. & Romanis Vitellianos abscessis furtim baltheis, an accincti forent rogitantibus: Non tulit, inquit idem Tacitus, lib. 18. ludibrium insolens animus, inermem populum gladijs inuasere.* Reprehendit idem auctor *lib. 10. Othonem etiam & Vitellium, quod quasi rixantes, supra & flagitia inuicem obiectauerent.* & Lilius *lib. 3. Philippum Macedonem, quod esset dicacior naturâ, quam Regem decet.* Rectè Plut. in *Timoleont. hostibus vim concessam, non virulentiam. multi verba grauius quam facta ferunt, contumeliam item quam detrimentum.* Memno militem traiecit, qui Alexandro maledixerat, addito elogio: *Pugnare te contra Alexandrum volui; non ei maledicere.* Plutarch. in *Apotheg. Regum.* & ferè fit sicut in priuatorum litibus iurgando